



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Mennas Martyr. 10. Decembr.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

mundos esse manibus, id est operibus sine culpa, sed etiam pedibus, ut nequidem sint vestigia culparum in communicantibus: quâ præviâ satisfactione expurgas vestigia culparum tuarum, pœnas per culpam promeritas? *Si qui regiam purpuram coinquinant, haud secus, quàm qui eam scindunt, puniuntur. quid mirum, si qui immunda conscientia Christi corpus accipiunt, idem supplicium subeant quod illi, qui clavus eum Cruci affixerunt.* Chryl.

3. Docuit humilitatem, abjiciendo se ad pedes Apostolorum *Vbi mihi nunc locus superest.* exclamat S. Borgia *si Dominum meum video infra pedes Iude;* Et si intra putridum cadaver cuiusque peccatoris video Christum ingredientem, O Dominus meus? O Deus meus! quid ultra ego cinis superbio?

S. MENNAS Martyr.

10. Decembr.

Hac est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injustè. Pet. 1. cap. 2.

MEnnam Maximinus Antiochiæ præfecit, suis, ut quidem putabat, sacris, revera Christianis addictum. Erravit feliciter tamen Imperator, neque Respublica unquam melius illic stetit, quàm cum Christianis jus Christianus Proconsul diceret, & alios verbis, alios

alios miraculis, omnes vitæ exemplo ad Chri-
 stum traheret. Id ubi aliquantò seriùs rescivit
 Maximinus, qui rem Deorum restitueret, Her-
 mogenem misit. Hic de loco ac munere Men-
 nam sed non perinde de constantia deiecit, ut
 qui relecta à pedibus carne in sententia tamen
 perstitit, neque post erutos oculos linguamq;
 vel à via virtutis excessit, vel clamare animo
 Christum destitit; quin cum subnoctem me-
 dicinam membris omnibus ipse Christus fe-
 cisset, & Angeli palam se Martyri junxissent,
 associare etiam se Hermogenes non dubitavit,
 pulchrâ Metamorphosi ex tyranno Episcopus
 Urbis factus. Tot damnis maclatus Impera-
 tor ipse adfuit, Deosque & se ulturus Hermo-
 geni manus pedesque auferri cremarique, ip-
 sum ventre discisso aquis mergi, Mennam ve-
 rò ex arbore, ex Mennæ pede saxum suspendi
 iussit, nobile anathema. Sed ecce mortem
 tunc uterque, sed & postridie Maximinum
 iterum triumpharunt capite truncati. Ossa
 quoque tumbâ ferreâ condita & in mare abje-
 cta Nautæ Angeli Byzantium deportarunt, à
 loci Antistite tumulanda. Ibi molliter nunc
 quiescunt, qui duriter olim vixerunt.

Ex Surio.

MEDI-

MEDITATIO.

Martyr perfectus est Orator.

1. **M**artyr delectat, Deum videlicet, & beatos omnes, cum forti animo martyrii palmam demetit, dum minas & blanditias Tyrannorum despicit, & quantum in se est, imitatur Jesum Crucifixum. Stephanus vidit celos apertos, & Jesum stantem, ut ejus triumpho oculos pasceret. Possum ego Dominum gaudio afficere, si vitæ hujus incommoda moderatè, & alacriter feram.

2. *Martyr docet* infideles fidei nostræ sanctitatem; ita S. Mennas Hermogenem docuit, & adduxit ad Christi fidem. Prò Deus? quis in dubium revocaret Bonitatem & potentiam tuam, si Martyrum miracula, eorumque mediis in suppliciis lætitiæ perspiceret? Neque enim, *se nihil dulce est Martyribus, tantas tribulationum amaritudines æquo animo sustinerent, amaritudo eorum à quo vis sentiebatur, dulcedinem eorum non facile quisquam gustare poterat* August.

3. Postremò *Martyr movet* fidelium animos, etenim, qui in obsequio Dei remissiores erant, sanguine & vulneribus Martyrum ad martyrium accendebantur. An potes etiamnum Martyrum vitas legere, quin Deo serviendi, & in ejus gratiam aliquid patiendi desiderio accendaris? Audi Martyres è cælo perorantes, & monentes quemlibet Christianum, ne in otio & quiete Dei pacem & amicitiam amittat, quam servârunt,

S. DA.